

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae sanctionis, voluntatis, relaxationis, statuti, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, tertio Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo,

EPISTOLA CLEMENTIS VIII.
ad deputatos e civitate Neapolitana.

Ex Bezovij Tom. 14. Annalium.

Dilecti filij, salutem & Apostolicam benedictionem.

IN quo nos Pastoralis officij nostri curam exercitati elaboramus, tantopere ut hominum cogitationes omnes ad cultum divinum atque ad sanctorum venerationem intendantur, in id vos sponte ferri cum videamus, inenarrabili certe laetitia, in Domino exultamus. Gratia Dei facilis, id quod facilis & gratia Dei in vobis vacua non est: cum donis caelestibus cumulati, gratos vos exhibetis, memoresque beneficiorum, aucta in Deum pietate, atque in sanctos ejus reverentia. Quarum quidem cogitationum ut auctorem verum Deum maxime oportet agnoscere, ita etiam affirmandum eas ipsas pijs precibus eorum in quorum tutela civitas ista est adscita, divinae majestati acceptas esse magis. Proinde pie prudenterque cogitatis de novo civitati patrono adfiscendo, civis vestri, *divinae voluntatis Angelico interprete, vna sanctitate, & miraculis clari Thoma Aquinate*: cujus doctrinae tantum fuit tributum, ut Christianae eruditionis suae divinum etiam illud habeat testimonium: bene de me Thoma scripsisti. Tali vos, tantoque deprecatore quia jure arbitramini divinos thesauros facilis vobis posse patere, suppliciterque ac dimissè rogatis, ut ad reliquos patronos istius civitatis, is quoque adjungatur: Nos auctoritate nostra Apostolica pium sanctumque istud vestrum consilium probamus, vobisque ut id liceat concedimus. Quod si quid & preces nostrae valent, pro vobis etiam humillimè supplicamus, vobis idem ut praesto sit, vestraeque orationes pio è corde protectas porrigat divinae majestati, curetque ut vobis sint eadem salutares. Unum id monemus, civitatem istam tanquam novo sponso è caelo venientem occurrere oportere, circumdatam monilibus sicut sponsam ornatam viro suo; ut ille vestimentorum, hoc est, bonorum operum odore suavissimo captus, charitatis vinculo sponsae adhaereat arctiore. Ratum id habeat qui bonus omnibus propitijs est Deus; & quam nos ad augendam pietatem vestram vobis nunc benedictionem nostram impartimar, sua idem sanctissima gratia prosequatur cumulatissime. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die 22. Novembris 1603. Pontificatus nostri anno duodecimo.

Ejusdem Pontificis epistola ad Proregem Neapolitanam.

Dilecto filio nobili viro comiti Beneventanorum in regno Neapolitano Proregi.

CLEMENS PAPA VIII.

Dilecti filij, nobilis vir, salutem & Apostolicam benedictionem.

QUANTUM prodesse possunt qui praesunt alijs vitae integritate, & pietate, licet id ex tua nobilitate facile concipere: quippe omnes animi conatus ad Dei gloriam atque publicam utilitatem cum tu dirigas: tacita tui emulatione populos ad eos imitandos atque ad eorum normam, vitam, moreque formandos inflammas. Erat quidem antea multo optandum ut civitas ista pietati imprimis dedita, novum patronum ad reliquos, quos habet addendum curaret Thomam Aquinatem *cujus divino eloquio & caelesti doctrina, miraculis, illa quidem illustris merito apud remotissimas nationes summa Christiani nominis cum laude atque Ecclesiae utilitate celebratur.* Verum id tua debeatur virtuti ut sanctum consilium, etsi accepti Deo referre oporteat, à quo quidquid boni agimus ac cogitamus proficiscitur, ex quo nostra omnis sufficientia emanat, tuum tamen in eo etiam studium laudaretur. Quò factum est ut multorum sopita penè pietas te procurante excitetur; atque in oculis omnium, imò in Dei conspectu appareat altior à terra atque eximior. Et nos solemus, ut decet, semper favere supplicationibus; sed huic certe ardentiori quadam voluntate annuimus, quod & *nos ipsi Angelico huic Doctori, & nostro, & totius Christianae Ecclesiae nomine plurimum debemus, & tua in eum extat pietas singularis.* Hoc igitur patrono una cum alijs utatur civitas, hunc in rebus ad usum vitae, ad salutem animarum necessarijs, fautorem atque adiutorem imploret; nostrique saltem & tui, qui id ipsum optas tantopere, publicisque & privatis precibus tenet memoriam, colatque beneficij accepti recordatione perpetua. Firmum hoc, quod nos auctoritate Apostolica, & benedictione nostra habemus, firmius faciat Deus sua gratia, & benedictione sanctissima. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die 22. Novembris 1603. Pontificatus nostri anno duodecimo

Decretum Deputatorum Neapolitanorum, quo Divinum Thomam Aquinatem, in tutelarem urbis adlegabant.

QUOD virum sanctissimum, Thomam Aquinatem, novum patronum Urbi adfiscimus, ut ea res invictissimo atque augustissimo Regi nostro Philippo, cunctis Patrum Ordinibus, Populoque Neapolitano prospera & laeta eveniat, votis omnibus precamur. Igitur quod omnibus innoteat, hodie 19. Mensis Januarij anni 1605. indictione 3. constituti in nostra praesentia, Fulvius Constantius Marchio Corleti, & supremi à latere Consilij Regens, Joannes Simon Moccia, Horatius Ligotius, Marcus Antonius Mormillis, Alphonus Ligotius, Franciscus Mormillis, de sedili portae novae, Felix de Marra, Marcus Antonius Caracciolus, de sedili Capuanæ, Joannes Paulus Santalucius, Fabius surgens, Caesar Carmignanus quondam Renaldi, Carolus Mitroballus, Horatius Muscetola de sedili Montanae, Don Caesar Pappacoda, Fabricius Tuttavilla, Hieronymus Macedonij de sedili Portus, Aescapius Carafa, Claudius Mitlanus, Alphonus Brancatius de sedili Nidi, Anellus